



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Aurum Sapientvm, Sive Ars, Sine Scelere, & cum virtute,
ditescendi**

Masen, Jacob

Coloniae Ubiorum, 1661

Epilogvs Ad Lectorem

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-55377](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-55377)

EPILOGVS

Ad Lectorem,

Quod initio faciendum, ut meum Lectori aperirem, ex more, consilium, & velut prælibatione quadam totius operis, legendi provocarem appetitum, hoc in fine nunc laboris mei præsto & si placuerit Lectio ad quendam ex potioribus delectum instituendum revoco; ne quæ suo invenerit statui ætatiq̃e opportuna, facili decursu prætereat, sed cognita ad vitam moresque transfundat. Neque enim tam multa legere consultum, quàm seligere in usum pauca, & ita mentem cognitione imbuere, ut affectu potius meliores, quàm ingenio simus. Illi pauca validisque intorta rationibus sufficiunt, huic ingentes librorum moles semper impares futuræ sunt.

Equidem dedi operam ut persuaderem; Frustrata tamen sum, nisi & suam huic Lector operam adjunxerit, quæque ex divino S. Literarum Testimonio adeò disertè accepit, his fidem præstet, Deoque, abstractam à rebus perituris, impendat fiduciam. Illud solum unicumque fundamentum est, cui tutò, in divitiis hujus mundi, & ad satietatem quidem, cumulandis, innitimur. qui in alio ædificat, in arena se fundat.

Ceterum

Ceterum & sacris Oratoribus hic perquam idoneam pro concione subjeci materiam, quæ ut auditoribus grata, ita perquam utilis ad multorum instructionem futura est. Cum enim plerique mortalium, adeo cæca habendi cupiditate ad opes rapiantur, ut legem hanc rationemque certissimam assequendi quod optant, erecto ad Deum animo, penetrare satis nequeant. Ab illa tam præpostera ad divitias via, ad hanc longè securiorem amœnoremque omni conatu traducendi sunt. Quam ubi felicibus auspiciis ingressi fuerint, prona ad omnem pietatem virtutemque his omnia futura sunt: & infelix illud omen Christi de sæculi divitibus evadent, quod facilius sit camelum per foramen acus, quam opulentos coelum penetrare. Inventet verò, & Lector, & Orator, per diversa totius anni Evangelia hanc doctrinam spargi. ut unius quadrantem anni, facile his lectionibus impleturus sit. Quarum fortè Catalogum, cum Thure & Myrrha Sapientum (si Deus vitam, tempusque dederit) ita exhibebo, ut annum his concionum per Dominicas circulum impleam. Interea hæc æqui bonique, seu Lector, seu Auditor consulat, atque ad suam aliorumque salutem, tum æternam divini nominis gloriam convertat.

Ad